



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quid sit peccatum in homine.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

per nos facit. Esa. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine, etiam coronat dona sua ad laudem & gloriam suam.

CAPVT XIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit peccatum in homine.*
2. *Quæ sit causa peccati.*
3. *De discrimine peccatorum.*

HOC verbum peccatum, dupliciter capitur in Scriptura: Vno modo, pro peccato originis, quod est aliud nihil, quæ carentia originalis iustitiæ, quæ in homine & natura nostra inesse deberet. Nam in tali iustitia originali creatus est primus homo Adam & Eua. At postquàm peccârunt Genes. 3. perdiderunt illam, & natura sic in eis corrupta est: Et hæc corruptio nunc est perpetuus morbus nature, sic vt humana voluntas non potest per sese ex natura sua illum morbum tollere, sicut nec mortem, quæ est actus proprijsimus istius corruptionis: Nec natura est morbus ille, Deus enim creauit naturam bonam: sed ille morbus cõnascitur homini ex peccato & inobedientia primorum parentum, in quibus natura, vt in radice, est infecta morbo illo: & sic peccatũ per vniuersam massam currit, teste Augustino. Insuper illius morbi fructus sunt peccata actualia, superbia, auaritia, luxuria, &c. cogitata, dicta, facta contra legem Dei: Sunt quoq; ignorantia Dei, carere fide, dilectione, timore, humilitate, paciẽtia, misericordia, &c. quæ nunc natura, tali morbo corrupta, ex se efficere nõ potest: exindẽ est, q̃ interior ille nature morbus polluit externas actiones, vt Deo non placeant. Etsi nondũ sanctificati habeãt quẽdã honesta opera, sicut

habuit Cicero, Aristoteles, & cæteri gentium philosophi, non tamen placent DEO, cò quòd nondùm persona est sanctificata. Persona enim & opus distat, vt si persona primùm non fuerit sanctificata, opus eius, etsi honestum sit, attamen propter illum morbum naturæ, Deo non placet: si autem fides in Christum, accesserit honesto operi, hæc fides sanctificat personam, & facit quòd DEO placet opus, cò quòd persona iam placet, primùm per fidem sanctificata: Et sic opus iustificati, sua habebit præmia in hac vita, & post hanc vitam. Non iustificatorum autem opera etsi temporale habent præmium, non tamen æternum. Exigit tamen Deus etiam in impijs externa illa honesta opera, propter trāquillitatem hominum, & quatenùs institui & doceri possunt de Euangelio, & Deus quoquè egregijs præmijs corporalibus, etiam in infidelibus, adornat hanc iustitiam carnis, vti de obstetricibus Exo. 2. Econtrà violationem legis externæ, pædagogix & honestatis, punit grauibus pœnis corporalibus, sicuti patet in Pharaone, Domitiano, Diocleciano, & cæt. Sumitur ergò hoc nomen, peccatum, primò pro originis vitio, Deindè pro actu, cogitatione, locutione & operatione, contra legem Dei, hoc enim quod DEVS exhibuit, est peccatum: & quod præcepit, bonũ opus. ad sua enim præcepta rediguntur omnia opera huiusmodi.

Exo. 14.

2. Causa peccati non est Deus: non enim Deus vult peccatum, vt Psalm. quinto. Non enim volēs iniquitatem Deus tu es. Sunt autem causæ peccati, voluntas Diaboli & voluntas hominis, & primò voluntas Diaboli: nam ideò Diabolus dicitur pater mendacij, Ioan 8. & loqui ex proprijs. Si pater mendacij, ergò & causa: quòd ex proprijs loquitur, fit, quatenùs natura à vitio verè discernitur. Naturam condidit bonam & conseruat DEVS, ipse autem Diabolus ex proprio vitio loquitur, & non à natura, in qua conditus